

.H. Sax. D

527,29<sup>b</sup>



V O T A

Nuptiis Secundis

LVDOVICI GVILIELMI MOSERI,

SERENISSI. DOMINI,  
Dn. CHRISTIANI II. ELECTORIS  
Saxoniae &c. Consilarii ac Camerae  
Secretarii.

Et

MARIAE NEIMAIERIAE

NAE VIDVAE, MATRONAE  
lectissimae.

AB AMICIS NVNCVPATA

XXIX. Aprilis Anno

M. DC. V.

Ereostichon.

Præfict Vr LoDolCe rVls noVa VILLICa rebVs;  
loVa faC, has faVsto DirIgat aVgVrlo.

H. Steuccius

DRESDÆ

Excudebat Hieronymus Schütz.

Saxon. D.

7, 296

102

Aus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

13368



**V**Xor honesta, Dux donum, cor, vita mariti,  
Prolis alumna, thori gemma, corona domus.  
Talem Sponsam, tibi divino munere duci  
Gaudenti gaudeo, qui tibi fausta precor.  
Sancta si uis, foecundus amor, concordia dives  
In vestro vigeant inviduata thoro.

*Iohan. Georgius Gôdelmannus I. C. Com. Palat.  
Consil. Elect. Saxon. & pro temp. ad S.  
Cas. Maiest. Legatus.*

---

**Q**uid Mosaræ piè junctis est tristius atrâ  
Lite? Nihil. Mortem iurgia sæva trahunt.  
Quid Mosaræ piè junctis est lætius almâ  
Pace? Nihil. Vitam foedera pacis alunt.  
Infans igitur missis ad Tartara rimis,  
Te, precor, æternùm pax generosa beet.

*Paulus Laurentius D. Dres. Sup.*



**M**OSERÆ, in thalamum tuum secundum  
Lætas, fila, Strophas Lyrae paranti  
Rupit Filiolæ recens sepulchrum.  
Nec cassum tamen esse nuptiali

A 2

Hoc

Hoc plausu ; favor inclyti Senatus  
NORIMBERGIACI, & benigna iussa  
Concessere: meâ penu quod ergò  
Promanet simul, est salubre votum.  
Cum consorte nova, bonos ô inter  
MOSE RE optime (votum id esto) vive  
Flore Compater, inter atque fidos  
O fidissime, vive flore Amice.  
Mens una, unus amor pares gubernet,  
Et devinciat invicem, perenni  
Iunctos glutine: sic thorum quietum  
Firment secula, postmodumq; reddant  
Vitæ participes beatioris.

*Urbanus Hantschman V. I. D. P. C.*

*& Ass. Cons. El. Sax. Mys.*



I Vngitur auspiciis tibi jam LODOICE WILHELMË  
Dextris virago, quâ non urbe clarior,  
Seu spectes animi dotes, seu corpore formam  
Genûsve, longè seu resumta stemmata.  
Ergò age seclusis laxentur pectora curis,  
Vultum serenet blandior nunc Gratia.  
Non illam fortuna Tibi, non casus amantem  
Iungit, piorum conjugum sed arbiter.

ille

Ille suis castos, quos diligit, afflat amores,  
 Vno hoc amantum copulantur dexteræ.  
 At contrâ flammæ odit sine lege ruentes,  
 Toriq; furta devovet nocentia.  
 Exemplo Sodoma est, sunt impia tecta Gomorrhæ,  
 Flammis perusta coelitùs minacibus.  
 Chelkiados contrâ niveum Tobiaq; pudorem  
 Amplo beavit sospitator munere.  
 Hæc quia magnanimo Tecum sub pectore versans,  
 Connubiale, Sponsæ, fœdus suscipis ?  
 Te Deus unanimi fervet cum compare in annos  
 Multos, beatum & vsque & vsque sospitet ?  
 Nil unquam adversi eveniat, nil gaudia turbet,  
 Non moeror urat, aut ærumna pectora.  
 Ut vario scandit subjecta pedamina lapsu  
 Vitis, tumescit utque botrus pampino :  
 Sic suscepta domum fœcundo compleat arvo  
 Proles, venustos præbeatq; lusulos.  
 Vobis alma Ceres, Vobis famuletur Iacchus,  
 Rerumq; , vita quas requirit, copia.  
 Stamina securo ducatis tramite vitæ,  
 Aether beata dum ferat consortia.

Iam versa cecidit orbe  
 Hyems minaq; caeli,  
 Iam blanduli susurrant  
 Austris, repetiq; tellus  
 Fugato Apeliote.  
 Herbas tepor Favoni  
 Prolestat, arva flores  
 Cinguntq; milleformes.

Iam cuncta destinatum  
 Proli excitant cubile.  
 Operata cuncta amoris  
 Nunc excitant amores.  
 Sic & tibi, marita  
 Deducitur VVILHELMEN.  
 Quæ clarior marita  
 Lata ad fluenta Elistri

A3

Lata

Lazaad fluente Sala  
Vix uspiam venides.  
Ergo caput recingat  
Lemniscus & corolla,

Nexusq; fiat uno  
Nodo, revincta corda  
Vt hancans perenni.

Paulus Ienifius M. Concionatur aulicus



LVDOVICVS GVILIELMVS  
MOSERVS.  
MARIA NEIMAIERIANA.

CAETERA dum properat, decus urbis, turba Poetae  
Debita conjugibus fundere vota novis.  
Rure suburbano clausum praeuenit, & omnes,  
Me prior, è Clariis fontibus hausit aquas.  
Nulla igitur serò venienti, dico, relicta  
Guttula conjugio digna MOSERIS TUO?  
Sic ego: Nymphæum, pro te dabo, rustica fatur  
Flora, Lycophroneis hoc Anagramma plicis:  
CONIUGIALIS AMOR MERA MELLA RESVMIS, IN VSV,  
VIVA, DEI: ò fausti dulce torreuma thori.  
Quod cape: Sic author thalami DEVS ipse, MOSERIS,  
Det tibi mella thori, det tibi mella poli.

Johannes Seuffius.


LYMPHA in marina naufragio ratem  
Fregisse fertur, tunc iterùm truci  
Ausu, sed intra xtramq; sortem  
Credere se pelago minaci

Quicunq;



Quicumq; deflet funeream necem  
 Primæ maritæ post tamen alterum  
 Tædis thorum tentat secundis;  
 Et repetit thalami pericla.  
 At nos moramur nil ea somnia:  
 Rebus MOSE RV S consuluit suis;  
 Huic naufrago MARIA cymba,  
 Portus & anchora sacra facta est.

Iohan. Reifiger S.



ODE NVPTIALIS

<p> <b>F</b>acile est DEO per atra            Tenebras, MOSE RE, noctis            Niveam excitare lucem;            Nigricantibusq; pari            lubar aureum diei            Operire rursus umbris.            CATHARINA dum Iehova            Tibi conjugata nura            Superas trahebat aurās;            Specimen domus beati            Tua connubi vocari            Poterat; Sed illa postquam            Superas reliquit oras;            Quibus obsisti Penates            Fuerint tui tenebris;            Quibus in doloribusq;            Lacrymisq; longus annus            Viduo sit ætus; ipse es         </p>	<p>           Tibi conscius, dieq;            Memorare nostra iurè            Refugit Camana fausto,            Etenim MOSE RE, Patri            Tua (quis neget?) supremo            Placuit fides, adempta            In amore conjugisq;            Sobolisq; derelicta,            Pietasq; tota summi            Patris à favore vita            In utraq; sorte pendens.            Viden' ut tuam fugatis            Nova lux domum tenebris            Hilares? MARIA, CHRISTO            Tibi dum favente, donis            Animiq; corporisq;            Speciosa copulatur;            Neq; conjugalis ipsa         </p>
---	---

Rudis

Rudis antè amoris, inq̃  
Viduo toro dolorum.

Dubitet quis ergò vestro  
In honore gratulari,  
Superùm q̃ de favore  
Bona tam pijs maritis  
Cumulata polliceri?

Tetigère vota IOVAM  
Vriusq̃; porro tangens  
Vriusq̃, vota IOVAM.

Sobolis MARIA matrem  
Propria ex amore discens  
Agere, exues ne veream; (ta  
CATHARAE QVE amorem adē.

Abolebit; ut beati  
Tua connubi, MOSERE,  
Specimen domus per urbem  
Celebretur usque; Et ambo  
Placidè picq̃, fixi,  
Vbi de favore Iova  
Spacium egeritis ævi;  
Radiantis instar astri  
Animâ emicante, cæli  
Nisidam incoletis arcem;  
Ita quippe castitatem  
DEVS, & fidem pudici  
Thalami remuneratur.

Iohannes Wankelius Torgæ F.



Nunc iterum vernos tellus meditatur honores,  
Quæ nive, quæ nymbis obruta nuper erat.  
Luxuriat, proditq̃; suos humus humida flores,  
Frondescunt sylvæ, ridet amœnus ager.  
Tu, Mosera, etiam queruli post tædia luctus  
Legitimi reparas fœdera sacra thori.  
Te modò torquebat tumulo CATHARINA sepulta,  
Omnia tunc mæsti plena doloris erant.  
Nunc animum reficit thalamo socianda MARIA,  
Gaudia nunc redeunt, nunc renovatur amor.  
Sic non continuis nigrescit nubibus æther,  
Sed fugit à solis nox hebetata face.  
Inq̃; vicem ponunt rabiosi murmura Cauri,  
Placatisq̃; silent æquora tuta Notis.

Nunc

Nunc igitur tempus, tristes removere cupressos,  
 Spargatur myrthus, versicolorq; rosa.  
 Altera tæda recens affert solamen utriq;  
 Et sarcit vidui damna priora thori.  
 Ambobus felix sit connubiale ligamen,  
 Adsit amica thoro luno, secundus Hymen.  
 Crescat, & haud unquam nova fax moriatur amoris,  
 Dum calor & vivax spiritus ossa regit.  
 Si quid prætereà connubia læta requirunt,  
 Hoc omne ex votis conferat alma Trias.

M. Paulus Berger.



**P**ost velut immitis tristissima tempora bruma,  
 Temperies grato verna vigore redit.  
 Succeditque suis calidissima solibus æstas,  
 Igneus Brigones cum Canis urit agros.  
 Mox post sæcundas Autumni frugibus horas,  
 Bruma repentinas spargit oborta nives.  
 Immo nymphi post turbida nubila cæli  
 Sæpè redit pulsæ aura serena Notis:  
 Sic etiam variis vicibus fortuna pererrat  
 Cuncta, volubilibus mescia stare rotis.  
 Nunc premit elatum, pressum nunc elevat, atq;  
 Alternas toto fingit in orbe vices.  
 Tristibus hinc quorum conterruit usa, vicissim  
 Recreat optatis pectora mæsta bonis.  
 Hac fortuna tuos, ô vir venerande, penates  
 Obruit incerto lubrica nonnè gradu?  
 Dum CATHARINA tui pars intima cordis obivis  
 Mortem, quæ nulli parcit in orbe rapax,

B

O quam

O quàm felicès, nisi lapsus ADAME fuisses,  
 Essemus, felix terra etiam ipsa foret.  
 Dens tuus EVA nocet multis, dens impius ille,  
 Amissum est per quem dulce salutis opus.  
 Irrepsit per quem mors vasti in limina mundi,  
 Crimen ob humanum mactet ut omne genus.  
 Cur tua fatali percussa est verberè coniunx  
 MOSERE? in caussa hi nempè fuere duo.  
 Sic est, sic cuncti metam properamus ad unam,  
 Omnes furtivà mors rapit atra manu.  
 Magnum est, si decorat coeclavia multa supellex,  
 Lectulus ac oëstro comtus ubique nitet.  
 Si fidi longo succediunt agmine servi,  
 Si fumum, ut flammam AETNA, culina vomit;  
 Res tamen est fragilis, tanti quid gloria regni,  
 Si Domina in terra mortua ventre jacet?  
 Nempè viro currunt circum praecordia cura,  
 Et minuit querulus languida membra dolor.  
 Si curator abest horti, quid crescit in illo?  
 Flores cum plantis degenerare vides.  
 Ad vanos ausus agitat petulantia servos,  
 Nec soboles discit noscere ritè Deum.  
 Cuncta jacent, perdit quàm plurima seabræ rubigo,  
 Et furtim multum plebs inimica rapit.  
 Quare libertas superest tibi nulla gemendi  
 MOSERE, arumnas aufferat aura tuas.  
 Nam redit ecce tibi pars altera corporis, atque  
 Altera pars animi nunc redit ecce tibi.  
 Quæ fuerat divulgata, redit tibi noscitur vultus,  
 Hæc etenim certè, non aliena venit.

Cuncta:

Cuncta scias summo sic disponente parente  
Confieri nobis, cum mala mixta bonis.  
Hic aliquando pios variâ pressos cruce terret,  
Et facit hos læto rursus honore frui.  
Sic iterum ut possis post tristia funera chara  
Conjugis, alternâ gaudia habere vice:  
Te modo dilectâ thalami consorte vicissim  
Donat, & optato præstat amore frui.  
Ergo agè scande torum, tua jam Iove iudice sancta est,  
MOSE RE, justa est, & tua causa bona est.  
Scande torum, nec enim quicquam verearis, oportet,  
Ausis invideat ne CATHARINA tuis.  
Ipsa tui quondam consors CATHARINA cubilis,  
Omnia gratatur prosperiora tibi.  
Immò suis meruit precibus moritura, maritam  
Ut dederint talem fata secunda tibi.  
Qualis jam fausto tibi jungitur alite SPONSA  
MARIA, egregiis fœmina culta modis.  
Et meritò, nam qui domui sobolique præcesses,  
Ni Dominam nosses heu sine matre pater?  
Ergo vide, quo te rapiat fortuna periclo,  
Dum tantâ SPONSAM commoditate capis.  
Hæc siquidem rursus sobolemque domumque ruentem  
Instruet, & Domina, matris & instar erit.  
Novit enim, didicit quæ prius jura dare ministris,  
Novit & infantes instituisse probè:  
Quippe Parens fuit antè: Parens fortassè futura  
Sæpius, auxilium suppeditante DEO.  
Ergo tua CATHARAE non irrita vota fuere,  
Si qualem petijt sedula, nupta tibi est.

CHRISTE fave, thalamoque nouo clementer adesto.  
Et bona Conjugibus dicitō verba tuis.  
Suffice tu vires animis, tu suffice vires.  
Corporibus, sine te nam nihil omnis homo est.  
Pelle procūl lites, Stygius quas inter amantes  
Atque tori socios Pluto mouere solet.  
Vt placidam vitam traducant, utque nepotes  
In vera crudiant religione suos.  
Donec defessus annis longaque senectū  
Vna dies ambos auferat, una fides.

M. Ant. Schelinus, Pastor in Altkirchen  
obseruantiz ergo faciebat.



AD lacrimas Elegi faciunt, hinc ludere versu.  
Herōo libuit; quia mens herōica nescit  
Tristitiam, cūm non (crebrō licet obvia) curet.  
Et si quis luctus, nunquid vel maximus ille,  
Eripitur medio charum si corpore membrum?  
Charius esse potest, nisi credita femina, nullum.  
Expertus dicit Sponsus, cui deuta marita,  
Sponsa fatetur idem pridem viduata marito.  
Ast vtriusq; simul moderantur gaudia luctum,  
Et nova præteritos extinguit tæda dolores;  
Sic Deus eventu compensat tristia læto,  
Tristius esse nihil poterit, quam vivere solūm.  
Dulcius esse nihil poterit, quam vivere iunctim.  
Ambos ergō Deus parili cūm turbine motos  
Iunxerit, ut pariter requiei lucra recentis  
Exciperent, rata vota mei sint pectoris ista:

Actum.

Lethum non lætum nova vincula rumpere cesset,  
Et legat & relegat calamos nova villica multos,  
Innumeris calami pingues videantur aristis,  
Singula sexcentis granis ornetur arista,  
Usq; suos factus, cum fænore, grana perennent,  
Alsiduo Sponsus lætetur Sponsaq; factus.

M. Nicolaus Sigefridi.

---

**Q**uæritur, uxores querant de more mariti  
Cur sibi, sed contrà fæmina nulla virum.  
Causa est, quippe viri teneat quia Fæmina costam:  
Inde quod amisit querere quisq; solet.  
Tessera cœu rectum tùm signatoria nomen,  
Partibus apta suis eum coalescit, habet;  
Sic homines, gemini dum committuntur, habendos  
DIVINVS legitur credere velle PLATO.  
Sis HOMONUNC MOSERE iterum, quem mobile fatum  
Demtâ hominem costâ fecerat esse minus.  
IPSA sibiq; animam rediviva in corpore sumat  
COSTA, dein plures progneret q; animas.  
Este VNVM, DVO qui fuit is, sic PLVRIA vestro  
SIMPLICITAS studio CONDVPPLICATA de-  
bit. Tobias Adamis.

---

## DECASTICHON CHRONOLO-

GICVM SACRVM.

**S**I duplicata Noæ numerabis tempora Vitæ,  
Gen. 7. Illi quando recens ARCA petita fuit;  
Ac annos quinâ vice multiplicabis, & addes  
Gen. 12. Ter denos, HARAN dum pius exit ABRAM,

B. J.

In.

In CANAANq; venit; tibi verus habebitur annus,  
Arcam quo petijt VILICA Sponsa NOVAM;  
Cum DRESDAq; tuas mutans, VINARIA sedes,  
MOSERI thalamo confociata fuit.  
Ergo quot in CANAAN ABRAHAMVS vixerat annos,  
Gen. 25. Tot DRESDAE SPONSIS det superesse DEVS,  
Marcus Dolmetsch Schorndorf. VVirtemb.

---

CHRISTE, duo appropierant sacrum accedere Templum,  
Accensi casta mentem animumq; face,  
Illic ut dextrâ possint conjungere dextram,  
Et fiant unum pectus & una caro.  
Quaeso, CHRISTE, tuos celeres huc dirige gressus,  
Te presente lubens ordine vota meant.  
Illa Tui aspiret precor hos dia aura favoris,  
Ut numerent Pyllos, sorte favente, dies.  
Hos volitet circum placidis Concordia pennis,  
Laurigerâ niveas fronde ligata comas.  
Hos etiam felix natorum turba coronet,  
Prospera quâ seateat vitis ut alma, domus.  
Vivant connubii neſtentes fœdera, vivant,  
Gratentur cuncti quotquot in urbe boni.

Daniel Kretschmar

---

(MOSERE  
QVOD benè sit tibi vir! LVDOVICE VVILHELME  
Quod benè sit! Repeto ter tibi: Quod benè sit!  
Id lætus finis tibi sic finire dolendo,  
MORS quia quod voluit, SORS quia quod voluit.  
Vt dolui tecum, prior hinc CATHARINA marita  
Cùm tua migrabat MORTIS ad imperium:

Sic



Sic lætor tecum, repetis cùm vota Secunda,  
Et MARIAM redamas SORTIS ad imperium.  
Iam doluisse sat est. Hymeneia festa parantur,  
Ac redit pulso læta dolore dies.  
Sternitur ex tumulo thalamus medicina dolorum,  
En CATHARIS supplet Sponsa MARIA locum.  
Hæc tibi delictum, sit amor, sit spiritus, olim  
Quæ fuit hîc CATHARIS, sit tibi nunc MARIA hîc.  
Nec mihi mens dubia est, quin vos sic unicus ambos  
Spiritus unanimes reddet & unus amor.  
Nec mihi mens dubia est, quin vos sic unicus ambos  
Exprimet ad vivum talis amoris AMOR.

*Iohan: Nienborg.*

---

## VOTI MUSICALIS, A ROGERIO

*Michæle Electoralis chori Musici Præfecto, Octo vocibus  
Compositi Textus.*

**A**Ltera mancipij reparat dum pacta jugalis  
MOSERVS, parilem datq; MARIA fidem:  
Tu calor iste novus felici ut sorte diurnet,  
Pronuba sis Nuptis ter sacrosancta Trias.  
Unanimes faxis concordia ut uniat actus,  
Corporeq; in bino velle coruscet idem.  
Orbis & ut genialis humus pubescit, ita almâ  
MOSERI vernet prosperitate domus.  
Numen ament, ita eos & Numina rursus amabunt:  
Manet in æternos Sors ut amica dies.

*Henr. Steuccius LL. Sr.*



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

VOTI MVSICALIS A ROCCO

A  
Lice in unip...  
MORRIS...  
T...  
P...  
V...  
C...  
O...  
A...  
I...  
A...

Hist. Sax. D

597 206



